

locum deputatum, et nos semper sic oportet ire¹ et dare sibi benedictionem nostram, unde diligenter petii et inquisivi a Christianis, Sarracenis cunctisque ydolatriis a nostris etiam conversis ad fidem,² qui in illa curia magni sunt barones aspicientes solum ad personam regis, et hii omnes uno ore loquuntur dicentes quod solum hystriones sui sunt bene tredecim tuman,³ unum quorum bene x milia constituit hystrionum; alii autem custodientes canes, bestias silvestres, et aves bene sunt [...] tuman.⁴ Medici vero qui custodiunt personam regis sunt ydolatræ numero quadringenti,⁵ Christiani autem viii, et unus Sarracenus: hii omnes totum illud habent quod est sibi necessarium a curiâ regis. Ejus autem reliqua sua familia ibi sine numero possidetur.

39. De itinere Domini Canis.

Dominus vero ille in estate moratur in quadam terra quæ vocatur Zandu,⁶ posita sub tramontana et frigidior habitabilis que hodie sit in mundo, in hyeme vero in Cambalec ipse manet.⁷ Et cum vult ab unâ terrâ ad aliam equitare, hunc modum ipse tenet. Nam quatuor exercitus equitum ipse habet, quorum unus dietâ unâ ipsum antecedit, secundus aliâ dietâ, tertius similiter, et quartus; ita quod semper in medio vadit in modum crucis.⁸ Cum autem sic vadunt omnes habent suas dietas ordinatas, unde omnia illa ibi inveniunt quæ sibi sunt necessaria ad comedendum. Gens vero quæ vadit cum eo ambulat isto modo; nam rex ille super uno curru a duabus rotis vadit, in quo facta est una pulcherrima sala,⁹ tota de lignis aloe et auro ornata, insuper perlis¹⁰ magnis et pulchris et multis lapidibus preciosis; quatuorque elephantes bene ordinati et parati ducunt istum currum, quem etiam et quatuor equi pulcherrimi¹¹ bene cooperti insuper sunt ducentes. Et juxta quem et quatuor barones qui vocantur Zuche vadunt custodientes et tenentes currum ne aliquis offenderet currum ne aliquid offenderet istum regem. Insuper et secum super currum portat xii¹³ zirifalcos, quos dum sic sedet in curru super cathedra sua vel sede et videt aliquas volantes aves post eas ab ire permittit. Et ad unius lapidis jactum nullus curru audet appropinquare nisi illi qui ad hoc sunt specialiter deputati. Unde sicut iste rex magnus vadit, sic et in gradu suo suæ vadunt mulieres isto modo; quod et suus primogenitus tenet et observat, unde quasi incredibile esset illam gentem ymaginari quam dominus iste habet. Exercitus autem illi qui ipsum dominum attendunt¹⁴ quingenti¹⁵ thuman habentes illa a domino quæ sibi sunt necessaria integraliter et complete. Et si aliquem istorum mori contingerit qui de numero computatur alius statim ponitur loco sui unde numerus semper manet.

¹ *Boll.* primos procedere.

² *Boll.* has idololatriis non modo ab illis qui *per me* ad fidem Christi conversi sunt, etc., which look as if it had been tampered with.

³ *Far.* 12 tuman; *Hak.* 18 thuman; *Mus.* xiii; *Marc.* xiv.

⁴ *Ven., Far.* xv tuman; *Marc.* xv.

⁵ *Mus.* cccti.

⁶ *Ven.* Sanday; *Ut.* Sanay; *Far.* Sandu; *Mus.* Sandu; *Marc.* Sandu.

⁷ *From* Dominus vero is omitted by *Hak.*

⁸ *Far.* in modum gradus (in échellon). ⁹ *Hak.* Sella.

¹⁰ *Ut.* pellibus.

¹¹ *Hak.* has altissimi (albissimi?).

¹² *Far.* Cuthe.

¹³ *Hak.* duo et albissimi. *The latter also in Mus.*

¹⁴ *Ven.* antecedunt.

¹⁵ *Ut.* 1; *Far.* vc; *Hak.* xv Thuman.